



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. An actus externus auget malitiam actûs interni?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

probans crimen alterius, sine voluntate illud patrandi, non peccaret mortaliter, contra illud ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Hinc desiderium, licet inefficax, occidendi, fornicandi, &c. est peccatum mortale injustitiæ, luxuriæ, &c. Desiderium verò leviter nocendi proximo est veniale. Nam omnis actus internus sumit malitiam, & speciem ab actu externo tanquam ab objecto.

Q. 2. *An actus externus auget malitiam actus interni?*

Resp. Actus externus per se non auget bonitatem, vel malitiam formalem, seu imputabilem actus interni, seu volitionis efficaciæ, qua scilicet fit id omne, quod est in potestate voluntatis. *Est communis.* Prob. 1. ex Gen. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo Unigenito propter me, benedicam tibi, &c.* Et Mat. 5. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus eam in corde suo.* ubi voluntas sola pro facto reputatur. 2. Ex S. August. in Psal. 57. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* & l. 1. de Liber. Arbit. c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjugæ aliena, planum tamen*

R 5

ali-

aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse: non minus reus est, quam si in ipso factio deprehenderetur.

3. Quia actus externus non habet ullam imputabilitatem ad meritum, & demeritum sibi propriam, & distinctam ab imputabilitate actus interni: nam non habet libertatem, nec rationem voluntarii distinctam à libertate actus interni, à quo imperatur, cum immediatè procedat à potentia necessaria, & non sit liber, nisi quia imperatur ab actu interno.

4. Quia cum actus internus efficax est, si actus externus non ponitur; ideo non ponitur, quia deest potestas illum ponendi: ac proinde quòd tunc non ponatur actus externus, est omnino involuntarium. At quòd est prorsus involuntarium non minuit imputabilitatem, sive ad laudem, & præmium, sive ad vituperium, & pœnam, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 20. a. 4. & per se patet. Nihilominus actus externus plura affert commoda, si bonus est: nam parit ædificationem, & quandoque etiam gratiam confert, ut Sacramentum, & Martyrium. Si verò malus est, plura affert incommoda: nam parit scandalum, infamiam, obligationem restituendi, & subjicit pœnis humanis, ac Censuris, &c.

Resp. II. Actus externus sæpissimè auget per accidens, seu occasionaliter bonitatem, vel malitiam actus interni, à quo
im-

imperatur: quia sæpissimè est occasio, cur augeatur bonitas, aut malitia actus interni, vel multiplicetur actus internus, aut diutiùs duret. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem, aut delectationem ortam ex actu externo; vel continuatur diutiùs propter longiorem temporis moram necessariam ad perficiendum opus externum; vel ob utramque causam sæpiùs iteratur. Hinc S. August. l. 13. de Trin. c. 5. ait: *malà voluntate, vel solà quisque miser efficitur; sed miserior potestate, quâ desiderium male voluntatis impletur.*

Q. 3. *An desiderium conditionatum, seu consensus conditionatus in opus malum, vel delectationem illius est peccatum, & quale?*

Resp. I. Desiderium conditionatum rei vitæ per se loquendo non est mortale, si conditio apposita aufert totam, vel saltem gravem operis malitiam. *Est communis.* quia talis affectus non est graviter inordinatus, neque secundum se, neque ex objecto, à quo per conditionem gravis malitia verè excluditur. Non est autem per se peccatum desiderare præcisè objectum, à quo verè sublata est malitia.

Si tamen, ut sæpe fit, inducat periculum probabile consensus absoluti, erit mor-

mor-